

usus enim non scripturis, aut verbis, sed in factis consistit. Et hoc docent theologi de aliquibus legibus ecclesiasticis, quæ traditione habentur, de quibus in duobus sequentibus capitibus aliquid dicemus.

3. Disputant autem jurisperiti an scriptura ita repugnet consuetudini, ut, si in scripta redigatur, eo ipso desinat esse consuetudo seu jus consuetudinarium, et incipiat esse lex alterius rationis. Aliqui enim id affirmarunt, ut Bart. supra refert, et indicat Gratian., § *Cum itaque*, post c. 5, d. 1, ubi dicit consuetudinem in scripta redactam constitutionem esse, non scriptam autem consuetudinem appellari, et sequitur Rochus Curt., tract. de Consuetud., in Præf., n. 5 et 6, cum Bald., in dicta l. *De quibus*, et Jas., in l. 2, ff. de Vulg. et pupill., dicente consuetudinem redactam in scripta per eum qui non habet potestatem condendi leges, manere nihilominus in vi consuetudinis, quod est clarum, quia illa scriptura non est lex, sed potius deservire ad memoriam, vel probationem, sicut nos probamus traditiones non scriptas, ex Patribus; at vero, si consuetudo redigatur in scriptum ab habente auctoritatem condendi legem, eo ipso desinere esse consuetudinem, quia jam non est jus non scriptum, nec ex consensu tacito, sed expresso. Addi etiam potest quod, licet consuetudo scribatur per modum legis ab habente auctoritatem condendi leges, si tamen per scripturam non intendat novam vim addere consuetudini, nec authentice declarare vel affirmare illam esse consuetudinem sufficientem, semper illa maneat in vi consuetudinis, quomodo multi censent de legibus fori: si vero per veram legem scriptam ab habente auctoritatem, et per verba obligantia, consuetudo stabiliatur, jam tunc non esse consuetudinem, sed scriptam legem.

4. Mihi autem videtur, etiam in hoc ultimo casu, perseverare consuetudinem in sua vi et in propria ratione consuetudinis, nisi per legem denuo scriptam auferatur. Et ita sentit Bart. in dicta l. *De quibus*, q. 1, n. 7, et loquuntur frequentius juristæ ibi, et in dicta l. 2 de Vulg. et pupil.; et Anton. extra de consuetud. in Rubr., et alii quos refert Rochus supra. Et potest probari ex c. 2 de Præbend., in 6, ibi: *Hujusmodi consuetudinem auctoritate apostolica approbantes, ac nihilominus volentes eam inviolabiliter observari*. Illa ergo lex scripta non destruit consuetudinem quam servari præcipit, sed illi addit novum robur, et, ut Glossa ibi inquit, de speciali consuetudine

fit jus commune. Ratio est, quia non repugnat illa duo vincula simul permanere, scilicet, consuetudinis et legis scriptæ, sicut possunt esse simul duæ leges scriptæ de eadem re, simulque obligare. Et ita ipsamet jura scripta sæpe allegant consuetudinem et jus scriptum, tanquam simul corroborantia rei honestatem vel obligationem, ut constat ex c. *Videtur*, Qui matr. accus. pos., ibi: *tam antiqua consuetudine quam legibus approbatur*. Neque est inutilis perseverantia consuetudinis et obligationis ejus, non obstante lege scripta, quia, si consuetudo sit specialis, et lex superveniens scripta sit jus commune, ut in c. *Cum inhibito*, de Clandest. despons., et contingat per privilegium derogari talem legem, nihilominus ubi antiquior viguit consuetudo, non censetur per illud privilegium derogata, nisi expresse etiam consuetudini derogat. Et ideo non est quæstio de solo modo loquendi, sed de re, quia ad morales effectus multum referre potest quod consuetudo, quæ incipit sine lege, currat cum lege, et suam vim retineat, secundum quam semper erit non scriptum jus: nam sola comitantia legis scriptæ non tollit quin aliud jus in sua vi et formalitate sit non scriptum. Oportet autem ut ante legem scriptam consuetudo sit consummata, et sufficienter introducta; nam si tantum sit inchoata, et per legem scriptam quasi anticipetur et introducatur obligatio, manebit purum jus scriptum, ut constat.

5. *Quomodo consuetudo legem supponere debet.*—Ad secundam objectionem de consuetudine legi contraria, quæ legem supponere videtur, respondetur facile non esse contra rationem consuetudinis, ut supponat quæcumque legem, sed solum ut supponat legem scriptam statuentem illud ipsum, quod consuetudine introducendum est: illam vero consuetudinem, quæ derogat legi, non supponere legem circa idem, sed potius circa oppositum: nam potius consuetudo facit ut hoc liceat: lex autem faciebat ut non liceret, vel e converso. Aliter vero explicat Bart. supra, n. 6, illam particulam *cum deficit lex*, quod, scilicet, per illam denotetur consuetudinem non debere esse reprobam per legem, quia si consuetudo non est contra legem, ibi clare deficit lex: si vero sit contra legem, oportet ut consuetudine lex vincatur, et sic deficiat ut possit consuetudo subsistere: nam si consuetudo facti sit contra legem, et illam non auferat, nunquam poterit jus aliquod introducere. Quæ doctrina vera est, et ingeniose cogi-

tata, non credo autem fuisse ab Isidoro intentam, sed in sensu simpliciori fuisse locutum, ut supra explicavi. Neque oportebat id specialiter in definitione explicare, quia per se clarum est non posse consuetudinem jus introducere contrarium præexistenti, nisi illud auferat, cum repugnet circa idem simul esse duo jura contraria.

6. Sed tunc urget tertia objectio, quia consuetudo derogans priori legi est vera consuetudo, et non est jus. Ad hoc vero respondeo primo, in his rebus moralibus sub habitu privationem intelligi, sicut peccatum definitur ab Aug., esse dictum vel factum, etc., sub quibus actibus intelliguntur omissiones eorum legi contraria: ita ergo cum consuetudo dicitur esse jus, ibi intelligitur vel revocatio juris. Nam lex revocans aliam vera lex est, licet oppositum non præcipiat. Ita ergo consuetudo revocans legem dicitur jus non scriptum, quia pro lege revocante suscipitur. Unde dicitur secundo, quod, sicut permissio ponitur inter effectus legis, et lex permittens vere lex censetur, quia, licet non præcipiat actum permissum, præcipit permissionem, ita consuetudo legi derogans jus inducit, non quidem præcipiens actum priori legi contrarium, sed permittens tantum. Consequenter autem præcipit permissionem, seu prohibet ne quis cogatur ad legem derogatam servandam, vel ne propter illam non observantiam puniri possit.

7. *Approbatum definitio Isidori initio propo-*
posita.—Quartam objectionem posui propter aliquos qui reprehendunt definitionem Isidori ut diminutam, quia in ea deficit illa particula, *populi consensu*, vel, communi *consensu*, vel saltem particula, *populi*; ita quod non diceretur tantum moribus *institutum*, ut ait Isidorus, sed *moribus populi institutum*. Atque ita sentit Bart. in d. l. *De quibus*, in lectur., n. 6. Imo ibi etiam magis approbat aliam definitionem prolixiorum, per plures particulas explicantem conditiones ad consuetudinem requisitas. Alii etiam canonistæ dictam definitionem brevitatibus reprehendunt, et plures alias multiplicantes quas referre supervacaneum est, quia non habent utilitatem, et videri possunt in Host., in Sum., tit. de Consuet.; et Rocho ubi supra, et in ipso Bart., in d. Repet., n. 1, ubi priorem sententiam reprobatur, et in sola definitione Isidori persistit. Dico ergo nullam ex illis particulis esse necessariam, nec afferre claritatem, sed dubitationem. Nam si in definitione ponatur *populi consensus*, statim oritur quæstio cujus populi, et an, verbi gratia, capituli con-

sensus sufficiat, et idem est de similibus. Cum ergo dicitur *moribus institutum*, satis ibi includitur consensus, quia mores voluntarii sunt, ut supra dixi. Subintelligitur autem mores debere esse tales, qui ad jus introducendum sufficiant. Quas autem condiciones ad hoc habere debeant, vel quorum consensu niti debeant, non oportuit, nec debuit in definitione explicari; nec enim est necesse ut omnes causæ rei in definitione ponantur, sed tantum intrinseca ratio formalis ejus; reliqua vero in discursu materiæ explicanda sunt.

CAPUT VIII.

QUOTUPLEX SIT CONSUETUDO, ET AN FORUM ET STYLUM COMPREHENDAT.

1. Quoniam multiplex esse potest consuetudo, et non omnis instituto nostro deservit, quia solum tractamus de illa consuetudine quæ ad jus humanum pertineat, et possit illud introducere vel aliquo modo abrogare, ideo necesse est consuetudinis varietatem præ oculis ponere, ut postea de sola consuetudine quæ ad nos pertinet disputemus, et ita etiam fiet, ut definitio consuetudinis exactius declaratur et intelligatur. Præcipue autem tractabimus de consuetudinibus ut sunt quid facti: nam inde constabit quid juris ex eis possit consurgere: nam in hac materia cognitio juris maxime pendet ex cognitione facti, tanquam ex prima causa, et radice.

2. *Prima divisio consuetudinis in am quæ versatur circa res vel personas divisim, aut conjunctim, et illam quæ versatur circa facta hominum.*—Primo ergo distingui potest consuetudo in eam quæ versatur circa res vel personas, divisim, aut conjunctim, et illam quæ versatur circa facta hominum. Hanc enim divisionem tetigit lex 4, tit. 2, part. 3, exemplisque declaratur; nam consuetudo solvendi vel non solvendi decimas ex agro vel vinea versatur circa res, et illis quasi imponit onus; consuetudo vero solvendi vel non solvendi decimas personales, vel solvendi tributum personale, circa personam versatur: consuetudo vero jejuniandi vel orandi versatur tantum circa humanas actiones, ut constat. Dicunt ergo aliqui priores consuetudines, sive circa solas personas, vel solas res, sive circa utrasque simul versentur, ad præscriptionem pertinere, non ad legem, quia solum conferunt per se et immediate jus in re, vel ad rem, vel in personam, quod est facultas quædam moralis, non lex.

Quia, licet ex illo jure morali obligatio in conscientia oriatur ad solvendum decimas, vel quid simile, illa obligatio non oritur ex consuetudine immediate, sed ex lege justitiæ naturalis, quæ obligat ad reddendum unicuique quod suum est. Sicut ex præscriptione rei sequitur obligatio non rapiendi rem præscriptam, quæ immediate oritur ex naturali præcepto non furandi, et similiter ex præscriptione servitutis transeundi per agrum, sequitur ut non possit quis juste impedi, ex eodem principio. Et idem invenitur in quacumque alia consuetudine circa rem vel personam. At vero consuetudo circa facta hominum dicitur ad legem pertinere, non ad præscriptionem, quia nemo præscribit aliquid circa actiones suas, ut præcedenti libro dicebamus, sed potest consuetudine obligari, et per illam consuetudinem circa facta propria inducitur jus consuetudinis.

3. *Prima explicatio divisionis.* — Hæc vero doctrina majori indiget explicatione. Primo, quia nulla videtur esse consuetudo quæ non versetur circa humanas actiones, quia omnis consuetudo consistit in frequentia actionum humanarum. Quod si dicas omnes consuetudines consistere in actionibus, non tamen omnes illas versari circa actiones humanas; contra hoc est, quia hoc modo fere nulla erit consuetudo quæ versetur circa facta hominum: nam consuetudo jejunandi, licet actibus humanis fiat, tamen illi actus versantur circa res illas, quæ sunt materia temperantiæ, et circa personam operantem, cujus passiones moderatur, et sic de omnibus aliis. Quod si illæ consuetudines dicantur specialiter versari circa res vel personas, quæ circa bona aliorum vel circa personas ab operante distinctas versantur; sic verum quidem est consuetudinem præscriptionis aliquo modo versari circa rem alterius, quia nemo præscribit rem propriam, et circa personam distinctam a præscribente, tum quia pertinet ad materiam justitiæ, et ideo debet consistere ex actionibus quæ ad alterum ordinantur; tum quia præscriptio semper est contra aliquam personam, quæ necessario esse debet distincta a præscribente.

4. *Refutatur prædicta explicatio.* — Nihilominus non satis subsistit divisio illo modo declarata. Primo, quia in ipsa præscriptione oportet distinguere personam circa quam præscribitur, a materia quæ præscribitur. Nam priori modo omnis consuetudo præscriptionis versatur circa personam, ut per se constat; posteriori autem modo non tantum versari

potest circa rem et personam, sed etiam circa facta humana. Potest enim princeps præscribere contra vasallos, ut illi exhibeant hoc vel illud ministerium personale, vel in bello, vel in domo, vel in agro; consuetudo ergo sic serviendi vel ministrandi inducit jus præscriptionis circa similia facta, sicut consuetudo jejunandi dicitur inducere obligationem jejunandi. Deinde in eodem sensu etiam consuetudo quæ versatur circa alterum, et circa actiones vel res quæ in obsequium vel utilitatem alterius fiunt, potest sine præscriptione legem inducere. Ut pia consuetudo offerendi spontanee aliquid in Ecclesia, de qua loquitur caput *Ad audientiam*, de Simon., versatur circa res quæ offeruntur, ut circa proximam materiam, et circa Deum, ut personam cui offeruntur, et circa Ecclesiam vel sacerdotes, ut circa personas in quarum usum offeruntur: et nihilominus ex tali consuetudine circa tales res et personas potest induci obligatio legis. Imo communior opinio est de facto induci, juxta prædictum textum. Et, licet probabile sit posse etiam illam obligationem sufficienter explicari per modum præscriptionis, certum nihilominus est posse etiam inducere obligationem humanæ legis, si aliæ conditiones concurrant. Nam, si esset consuetudo de solo cultu personali, ut eundi tali die ad processionem, vel assistendi officio divino sine reali obligatione, posset illa consuetudo esse inductiva juris præscriptoris; cur ergo non poterit idem facere consuetudo offerendi? Denique etiam, e contrario, non omnis consuetudo quæ versatur circa actiones solius personæ, quæ ad alium non ordinantur, sufficit ad jus inducendum: nam consuetudo scribendi, aut pingendi, et similes, circa facta versantur, et jus inducere non sufficiunt.

5. *Quomodo intelligenda prædicta divisio consuetudinis.* — Divisio ergo illa, ut instituto nostro deserviat, non materiali modo (ut sic dicam), sed formali intelligenda est, et sumenda ex fine, seu scopo, ut sic dicam, consuetudinis. Nam quædam videtur dirigi ad constituendum in rebus ipsis, vel inter personas, jus aliquod, et hæc dicitur proprie versari circa personas, vel res. Et de illa verum est pertinere ad præscriptionem, et non ad legem non scriptam, quam hic veluti per antonomasiam consuetudinem appellamus. Neque obstat quia talis consuetudo possit interdum versari circa facta hominum, ut circa proximam materiam, tum quia vel tunc non considerantur facta hominum, ut humanæ actiones sunt, sed ut res

quædam tantæ æstimationis aut valoris: vel certe quia talis consuetudo sub illa merito comprehenditur, quæ est circa personam, quia per illam persona manet obnoxia et obligata, non ex consuetudine tanquam ex lege, sed ex jure acquisito alteri circa talem personam vi consuetudinis, quod jus ad præscriptionem spectat. Sicut e contrario consuetudo, vel potius usus, per quem solet actio præscribi, licet videatur proxime versari circa actionem quæ præscribitur, nihilominus immediate cadit in personam quæ erat obnoxia tali actioni, et per illam quasi consuetudinem liberatur.

6. Alia vero consuetudo per se ordinatur solum ad usum vel non usum similium actionum, præcise ut sunt actiones ipsius operantis, sive sint quasi immanentes in ipso, ut jejuna-re, orare, etc.; sive sint transeuntes in rem extrinsecam, ut scribere, arare, etc.; et sive ordinantur ad alterum, sive sint ab illa habitudine absolutæ; omnes enim istæ actiones possunt in consuetudinem ferri solum propter se, seu propter directionem illarum sine respectu ad jus, quod alteri inde resultat vel in rem, vel in personam. Et ad hoc genus consuetudinis pertinet illa quæ jus præcepti potest inducere, quæ sub illa consideratione dici potest versari circa actiones, quia illarum usum vel exercitium per se intendit; non tamen debent excludi consuetudines quæ circa res extrinsecas vel personas versantur: nam per illas etiam potest obligatio specialis humanæ legis introduci, si sub illo tantum respectu fiant, ut argumentum de consuetudine obligationum convincit et possunt facile adduci similia. Nam consuetudo eleemosynæ potest esse talis quæ legem inducat, cum tamen eleemosyna circa rem extrinsecam et personam distinctam versetur, quia consuetudo illa potest fieri intuitu misericordiæ, et boni usus ipsius operantis, sine ordine ad jus alterius. Unde ratio generalis esse videtur, quia illæ actiones etiam sint ad alterum, et circa materiam extrinsecam, sunt capaces obligationis introductæ ex vi solius consuetudinis, etiam si per illam nullum jus alteri tribuatur, sicut possent etiam præcipi lege humana, vel sicut possent se homo per votum aut puram promissionem ad illas obligare. Addendum vero est non omnem similem consuetudinem, etiam si circa pura facta versetur, esse sufficientem ad jus non scriptum constituendum, sed illam tantum quæ versatur circa actiones morales, ut bonas vel malas, in ordine ad communem utilitatem. Nam, sicut de ratione legis est ut hujusmodi

actus præcipiat vel prohibeat, ita idem necessariam est ad consuetudinem legalem, ut sic dicam. Et ita excluduntur consuetudines scribendi et similes, quæ et indifferentes sunt et privatae, et per se solum conferunt facultatem, vel artificiosum usum in hujusmodi actionibus, non pertinent autem ad obligationem operandi, quam per se respicit consuetudo, de qua tractamus.

7. *Secunda divisio consuetudinis.* — Secundo, principaliter dividi potest hæc moralis consuetudo in communissimam seu universalem, communem seu publicam, et particularem seu privatam, quæ divisio sumitur ex parte ex 1. *Si servus plurium*, § ult., ff. de legat. 1, et latius illam tradit Hostiens. in Sum., tit. de Consuet., § ult., Bald. et alii, quos refert Roch. supra, n. 20 et 21. Sed illi aliter explicant, prout in eis videri potest. Ego vero sub primo membro præcipue pono illas consuetudines totius orbis, quæ jus gentium constituunt, l. 2 diximus: nam illud revera est jus, et in suo ordine tanquam vera lex obligat, ut ibi probavi. Est etiam jus non scriptum, ut etiam est manifestum: ergo usu introductum, et moribus non unius vel alterius gentis, sed totius orbis. Illam ergo vocat universalem, seu communissimam consuetudinem. Unde obiter intelligi potest definitionem consuetudinis, supra ex Isidoro declaratam, in rigore competere juri gentium. Neque hoc est contra rectitudinem ejus secundum se spectatæ, quia revera jus gentium consuetudo quædam est, et inde habet vim suam, non ex solo jure naturali, ut supra probavi, nec ex voluntate alicujus humani principis, ut per se constat. At vero, accommodando nomen et rationem consuetudinis ad præsentem tractatum, in quo de legibus civilibus, id est, humanis, prout a jure gentium distinguuntur, disserimus, nomine consuetudinis intelligenda est illa quæ tantum communis est, quam civilem appellare possumus: et simili proportionem coarctanda est definitio, ut vel nomine juris intelligatur jus humanum, seu civile, ut comprehendit etiam canonicum, vel certe hoc ipsum intelligatur indicatum per illam particulam, *Moribus utentium institutum*: nam per illam significatur hoc esse debere jus denuo introductum, seu in particulari loco, aut provincia, ultra jura gentium communia, quæ quasi naturalia reputantur. Quod magis explicatur, cum dicitur hoc jus haberi pro lege ubi deficit lex; nam jus gentium non est introductum quasi in defectum legis, sed tanquam per se necessarium, et quia per se

modum illum postulat: non enim poterit aliter humano modo introduci. Et ita primum illud membrum quoad hanc partem omittimus. Ad illudque reduci possunt ecclesiasticæ traditiones, quarum initium et auctor ignoratur, et ab universa Ecclesia observantur: nam illæ etiam jus non scriptum continent, et moribus totius Ecclesiæ firmatæ sunt: nam cum Ecclesia de se universalis sit pro toto orbe, merito tales consuetudines universales, et generalissimæ dici possunt: de his vero traditionibus pauca addemus in sequenti divisione, et inde constabit an inter eas, quæ jus humanum non scriptum constituere possunt, recensendæ sint.

8. *Privata consuetudo intelligitur de una persona vel imperfecta communitate, quæ legem ferre non potest.* — Consuetudo particularis et privata est omnis illa, quæ ab una tantum persona exercetur, vel ab imperfecta communitate, cujus consensus ad legem ferendam non sufficit, ut est privata domus, seu familia, de qua, et de ejus capite, seu paterfamilias, supra, l. 1, ostendimus, non posse legem ferre. Hanc ergo privatam consuetudinem in præsentem sub consuetudine non computamus, ex illo eodem fundamento quod jus constituere non potest. Et ita docent communiter juristæ cum Bart. in dicta l. *De quibus*, et Ant. de Butrio, in cap. ult. de Consuet., et alii. Ratio vero est, quia si consuetudo sit privatæ personæ, illa non potest sibi legem propriam imponere, imo nec obligationem ex vi solius repetitionis actuum, etiamsi habeat propositum semper sic operandi, nisi addat promissionem, quæ vi sua, non ratione consuetudinis, obligabit, et non per modum legis, sed per modum facti, id est, voti, vel pacti, quo supposito, lex naturalis inducit obligationem, ut in materia de voto explicavi. Quod adeo verum est, ut, licet persona operans alias habeat potestatem condendi legem, per suam privatam consuetudinem non possit illam inducere, ut notavit Rochus supra n. 16 et 22. Quia respectu sui eadem est ratio in principe, quæ in privatis personis, quia in suis actibus propriis, vel frequentia eorum, se gerit ut privata persona, non ut princeps, nec sibi ipsi potest imperare, obligationem sibi soli directe imponendo, ut supra visum est. Respectu vero aliorum etiam non potest ex privata seu personali consuetudine principis jus consuetudinis in subditos redundare: tum quia una ex conditionibus requisitis ad jus consuetudinis, est, ut ex tacito populi consensu introducatur, qui non intervenit, nisi per usum et morem ejus-

dem populi; sine illis ergo non sufficit privata consuetudo principis; tum etiam quia non tenentur subditi principem imitari in suis actionibus, etiam honestissimis et frequentibus, nisi ipse præcipiat: non præcipit autem sufficienter operando tantum per suam privatam consuetudinem, quia illa non est expressum, nec tacitum signum voluntatis obligandi, ut per se patet. Unde recte dixit Bart. in l. 2, cod. Quæ sit longa cons., in princ., potestatem condendi legem consuetudinariam tunc solum transferri in principem, cum procedit ex populi consensu. Sic ergo personalis consuetudo nunquam inducit legem.

9. Eademque fere ratio est de consuetudine imperfectæ communitatis, ut unius familiæ, quia illa etiam non potest inducere jus, quia una familia non potest sibi imponere legem expressam, ut supra ostendi in l. 1.; ergo multo minus poterit inducere tacitam, qualis est consuetudo. Accedit quod, licet talis communitas possit aliqua privata statuta condere quæ, licet non per modum legis, saltem per modum pacti, seu mutua conventionis obligent, nihilominus etiam hoc modo non videntur posse obligari personæ talis communitatis per solam consuetudinem, quia pactum vel promissio non inducitur sola consuetudine, nisi intercedat præscriptio, vel supponatur aliqua lex, vel institutio, in qua talis consensus in obligationem pacti fundetur. Et, eadem ratione, licet paterfamilias præceptum possit ponere in sua familia, non potest per suam consuetudinem illam obligare, ob eandem rationem quod sola consuetudo personalis non est signum tacitum præcepti.

10. *Quæ sit consuetudo quæ legem inducit.* — Relinquitur ergo ut sola consuetudo quasi media, quam communem appellavimus, seu publicam, sit proprii juris humani positivi inductiva. Et ita illa sola intelligitur in hac materia nomine consuetudinis, ut senserunt Bart. in dicta l. *De quibus*, in lectur., n. 4; et Bald., in Rubr. Quæ sit longa consuetudo; Pan., Roch. et omnes in dicto c. ult. Et facile constat, tum ex sufficienti partium enumeratione; tum ex dictis circa definitionem consuetudinis, quæ in sequenti cap. quoad hanc partem magis explicabitur. Advertere autem oportet aliud esse communitatem aliquam esse capacem potestatis ad ferendas leges, aliud esse habere illam. Nam per se solum habent hanc potestatem quoad leges civiles republicæ supremæ, quæ suam jurisdictionem in principem aliquem non transtulerunt: capacitatem vero habent

CAPUT IV.

DE TERTIA DIVISIONE CONSUETUDINIS SECUNDUM JUS, PRÆTER JUS ET CONTRA JUS, UBI NONNULLA DE TRADITIONIBUS ECCLESIASTICIS TRACTANTUR.

omnes communitates perfectæ, seu civitates, aut populi, qui possunt propriis legibus communibus vel municipalibus obligari, etiamsi principem superiorem habeant, quia saltem ex consensu illius possunt leges ferre. Consuetudo ergo publica cujuscumque communitatis capacis obligationis propriæ legis, esse poterit inductiva juris, quantum est ex parte communitatis, etiamsi actu non habeat potestatem ferendi leges. Quamvis talis consuetudo plures conditiones requirat ad inducendam legem in communitate non habente de facto illam potestatem, quam in habente, quia saltem requirit tacitam licentiam principis, ut postea dicemus.

11. Unde tandem infertur, juxta varias communitates magis vel minus amplas seu generales, posse etiam distingui varias consuetudines publicas, et sub hoc membro medio contentas. Et juxta eandem varietatem resultat etiam varium et multiplex jus consuetudinis. Nam si communitas sit ecclesiastica, consuetudo illius inducet jus ecclesiasticum; si laica, inducet jus civile. Item in priori ordine, si consuetudo sit totius Ecclesiæ, consuetudo inducet jus canonicum commune, de quo sunt multa decreta, dist. 11; si vero sit totius provinciæ, erit quasi nationale; si vero sit specialis episcopatus, erit quasi synodale, seu diocesanum; si privati Capituli, vel communitatis, erit quasi municipale. Et cum proportionem in civilibus; nam si sit consuetudo unius regni, erit jus, ut ita dicam, regale, seu provinciale, aut nationale: si autem sit civitatis, erit municipale. Jus autem civile commune in hoc genere inveniri non potest ultra jus gentium, quia varia regna in eisdem moribus civilibus convenire non possunt; et, licet interdum in aliqua consuetudine similitudinem habere possint, non tamen per modum unius, sed per modum plurium inter se similibus; sicut in multis legibus regni varia regna concordant, lex tamen unius non obligat alios, nec e converso. Neque etiam in hoc genere existimo reperiri jus prætorium propriæ, quidquid aliqui juristæ dicant (ut videri potest apud Rochum, supra n. 22), quia illa duo, scilicet, jus prætorium et consuetudinarius, involvunt repugnantes conditiones, ut facile consideranti patebit; illud enim omitto, quia parum ad nos refert.

1. Tertio, principaliter dividitur consuetudo in eam quæ est secundum legem, præter legem, vel contra legem. Quam divisionem tradunt Abb. in dicto cap. ult. de Consuet., circa finem; et ibidem Ant. et Rochus, section. 5, numero 5; et Car., quæstione 45; et insinuat Hostiens. in Summ., § ultim., eodem titulo. Potest autem illa triplex comparatio fieri, vel ad legem naturalem, vel ad positivam divinitam, vel ad humanam; et ita juxta illas tres leges consurgit triplex divisio trimembris, et de omnibus aliquid breviter dicemus, ut, rejectis quæ ad institutum non pertinent, et breviter explicatis quæ clariora sunt, ad propria et difficiliora transitum faciamus.

2. Igitur, respectu legis naturalis, nullus actus moralis videtur esse præter illam, saltem in individuo, quia omnis actus moralis in individuo est bonus vel malus (juxta probabiliorum sententiam); ergo est conformis vel difformis legi naturali, quia lex naturalis de omnibus humanis actibus disponit: consuetudo autem consurgit ex actibus in individuo factis; ergo semper est vel conformis legi naturali, vel ab illa discrepans, et ita nulla erit præter illam legem.

3. *Qui actus secundum legem naturalem, qui contra eam dici possint.* — Nihilominus tamen, loquendo de lege naturali ut prohibente actus, vel ut in rigore præcipiente exercitium eorum, sic quædam consuetudo dicitur esse secundum legem naturalem, quia ab illa procedit et per eam observatur lex ipsa naturalis. Extreme vero contraria erit contra legem, scilicet, per quam lex naturalis quovis modo violatur, etiam leviter. Alia vero erit præter naturalem legem, sive constet ex actibus indifferentibus in individuo, secundum probabilium opinionem, sive ex actibus honestis, qui, licet approbentur a lege naturali, vel præcipiantur quoad modum seu specificationem, id est, ut, si fiant, tali vel tali modo fiant, absolute non præcipiuntur quoad exercitium, sed absque lege naturali præcipiente fiunt.

4. *Consuetudo contra legem naturalem nullum effectum habet.* — Prima ergo consuetudo secundum legem naturalem, licet optima sit, ut per se constat, non tamen habet proprium ef-